

à quo ille sua sumpsit, spectes. Assentior enim iis qui hanc hæresin, Allegoristarum qui ab Origene orti sunt, propaginem esse censem, in quorum numero est Epiphanius. Dicuntur autem hi non tantum Hierachitæ, sed etiam Heraclitæ, quemadmodum ab Isidoro, siue is scribarum error fuit, siue quod duo præcipui fuerunt huius sectæ patrini & columnæ. Hierachitæ quidem ab Hieracha, vel Hierace, ut alii malunt, qui Aegyptius fuit, patria Leontopolites. Est autem Leontopolis celebre Aegypti oppidum, à quo nomos Leontopolites appellatur, ut scribit Plinius libro 5. capite 9, & 10. Hunc autem sub Seuero imperatore quidam collocant, in quo meo quidem iudicio fallantur, quemadmodum postea etiam apparebit: & Hieracem hunc cum eo confundunt, qui laudatur ab Eusebio lib. 7. Histor. capite 21. neque fuit hereticus. Heraclitæ autem ab Heracla, non illo quidem qui commemoratur ab Eusebio libro 6. hist. capite 20. qui fuit & Aegyptius, & omnis Græcorum literaturre peritissimus: sed ab hoc, qui Monachus fuit, & hoc teterrimo errore iam infectus. quanquā hunc etiam ipsum in Græca & Aegyptia-
ca lingua eruditissimum floruisse testatur Epiphanius. Fluxit igitur hæc hæresis ex Origenistarum schola: & post monachismum non modò exortū, sed etiam in pretio iam habitum, adeò ut huius initia post Origenem, & Paulum Eremitam, à quo primum monachatus, & sub Xysto quidem primo Rom. pontifice cœpit, collocentur. Innotuit igitur sub Gallieno imperatore, & Dionysio Romano pontifice, circa annum à Christo passo 234. fuitque laudum cœlibatus, monachatus, abstinentiæ im-

men-